

rum opinio fuit animas esse extra corpora à principio creatas: cuius erroris occasio fuit quod animam corpori uniri posuerunt quasi accidentaliter, sicut nauam navi, vel sicut hominem indumento, ut de Platone Gregorius Nysenus (a) narrat: unde dicebat, hominem esse animam corpore indutam: & idem etiam, secundum Pythagoricos, de corpore in corpus transibat: Hoc autem Aristoteles reprobat I. de Anima, text. LIII. & II. de Anima text. XXVI, ostendens animam, cum det esse substantiale, & specificum, in tali corpore habere essentialē habitudinem ad corpus, tantum quod anima quæ dat esse uni corpori, aliud perficere non possit. Similiter Avicenna (tract. de Anima part. v. cap. IV.) istum errorem reprobat satis efficaci ratione, supposita animæ immaterialitate. Impossibile est enim diversitatem in numero sub eadem specie causari, nisi ex diversitate materiæ: quia ad diversitatem formalium principiorum sequitur diversitas specierum. Si ergo anima, ut dictum est, non habeat materiam ex qua fit, non possunt plures animæ unius speciei esse diversæ numero, nisi per diversitatem materiæ in qua sunt. Unde de si ante corpus creatæ fuissent, oportuisset eas vel esse diversas in specie; & sic omnes homines specie differre ex diversitate formarum; aut quod esset unum tantum numero, & sic rediret error tactus in præcedenti articulo. Augustinus tamen dicit VII. super Genes. animam primi hominis creatam esse ante formationem corporis; quod tamen non asserit.

Ad primum ergo dicendum, quod pro tanto Deus dicitur ab opere septima die cessasse, quia nihil postea fecit quod non aliquo modo in primis operibus præcesserit vel secundum materiam, & rationem seminalem, sicut corpora quæ de novo generantur; vel secundum similitudinem, sicut animæ quæ de novo creantur.

Sciendum autem, quod similitudo animæ præcessit etiam in opere creationis aliquo modo, cum omnia simul creata legantur, ut Eccli. XVIII. dicitur; sed hæc similitudo fuit in natura communi, in qua anima, & Angelus conveniunt, scilicet in intellectuali. Præcessit etiam in operibus sex dierum, huius animæ quæ nunc creatur, similitudo in specie: quia inter alia sex dierum opera etiam homo creatus est, rationali anima perfectus secundum alios sanctos; quamvis secundum Augustinum VII. super Genes. fuerit in illis sex diebus factus homo quantum ad materiam, & rationem seminalem ratione corporis; ratione vero animæ, ipsa primi hominis anima fuerit in se facta.

Et per hoc patet responsio ad secundum: quia concedimus quod ratio seminalis animæ, ejus creationem in nulla creatura præcedat.

Ad tertium dicendum, quod quædam creatio est quæ non præsupponit materiam nec ex qua, nec in qua illud quod creatur, fiat; & talis est creatio quæ distinctionem, & ornatum præcessit. Sed creatio animæ quamvis non sit ex materia, tamen præexigit materiam in qua creatur. Et quia illa materia non potest disponi ut efficiatur propria, nisi per actionem naturæ, ideo talis creatio sequitur distinctionem, & ornatum, secundum quæ principia activa in natura constituta sunt, ut prius dictum est.

Ad quartum dicendum, quod sicut Avicenna di-

EX EDIT. P. NICOL. (a) Immo potius Nemesius, qui sub nomine Gregorii Nyseni olim circumferri solebat, Lib. de natura hominis cap. 12 Tom. XII. Bibliothecæ Patrum; etsi verus Nysenus in tract. de hominis officio eos refellit ex professo qui animas ante corpora præexistentes, & ab aliis in alia corpora transmigrantes fabulabantur, sed Platonis nomine non expresso. Ad marginem autem Venetæ editionis an. 1593. notabatur: Plato in Alcibiade de natura hominis.

cit, de Anima, part. 1. cap. 1. anima quamvis non dependeat à corpore quantum ad suum esse, vel quantum ad suum finem, dependet tamen quodammodo quantum ad suum principium. Cujus ratio est, quia cum universalia non habeant aliquid esse nisi in anima, oportet quod quicquid in esse naturæ producitur, producatur secundum hoc quod individuatur. Cum ergo anima esse individuatum non possit habere, nisi secundum quod conjungitur corpori ut forma ejus, ut probatum est, oportet quod non incipiat esse nisi in corpore; sed tamen in corpore acquiritur sibi esse absolutum, non depressum, vel obligatum ad corpus: & ideo etiam post destructionem corporis manet secundum suum esse individuata, & distincta ab alia anima.

Ad quintum dicendum, quod anima, & Angelus in hoc conveniunt quod utrumque est substantia subsistens, esse absolutum habens, & quod materiam partem sui non habent; ex quibus consequitur intellectualitas in utroque; in hoc tamen differunt quod cum natura angelica sit sublimior, & Deo propinquior, acquiritur sibi esse altius, in cuius participationem nullo modo corpus adduci potest, ac per hoc nec Angelus potest forma corporis esse; sed animæ acquiritur esse inferius, & minus nobile, in quo corpus sibi unitur, ut unum sit animæ esse, & corporis, & quod est esse conjuncti: & ideo est forma corporis, individuatioque sua est ex unione ejus ad corpus: & de hoc etiam in I. Lib. dist. VIII. habitum est.

Ad sextum dicendum, quod essentialis universi perfectio consistit in speciebus; accidentalis vero in individuis. Cum ergo multiplicatio animarum non sit secundum diversam speciem, sed secundum numerum tantum, relinquitur quod per hoc quod multæ animæ quotidie creantur, nihil ad essentialē universi perfectionem adjungitur, sed ad accidentalem tantum: & hoc non est inconueniens.

Ad sextum dicendum, quod essentialis universi perfectio consistit in speciebus; accidentalis vero in individuis. Cum ergo multiplicatio animarum non sit secundum diversam speciem, sed secundum numerum tantum, relinquitur quod per hoc quod multæ animæ quotidie creantur, nihil ad essentialē universi perfectionem adjungitur, sed ad accidentalem tantum: & hoc non est inconueniens.

QUÆSTIO III.

Deinde queritur de formatione huius ex parte corporis: & circa hoc queruntur duo.

Primo. De qua natura corporis hominis compositionem sit.

Secundo. De loco corporali in quo positus est, scilicet in paradiso.

ARTICULUS I.

Utrum in compositione hominis sit aliquid de natura corporis celestis.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod in compositione corporis hominis sit aliqua pars de natura corporis celestis. Eidem enim formæ debetur idem perfectibile. Sed forma corporis hominis convenit in natura intellectuali cum forma separata, quæ corpus cæli movet. Ergo videtur quod aliquid de natura celestis corporis in compositionem hominis corporis veniat.

2. Præterea. Impossibile est contraria ad maximam æqualitatem venire, nisi per aliquid concilietur.

tur. Sed non potest contraria conciliare nisi quod est à contrarietate remotum, quale est inter corpora solum corpus celeste. Ergo oportet ad compositionem corporis hominis, in quo ad maximam æqualitatem elementa perveniunt, aliquid de natura corporis celestis advenire.

3. Præterea. Avicenna dicit (de Anima part. III. cap. VIII. & part. V. cap. VIII.) quod spiritus qui per membra diffunduntur, sunt de natura lucis. Hæc autem est natura quinti corporis: unde etiam Philosophus dicit in II. de Anima (text. LXIX.) quod lucidum, & diaphanum invenitur in inferioribus corporibus, secundum quod communicant cum superiori corpore. Ergo videtur quod in corpore humano sit aliquid de essentia corporis celestis.

4. Præterea. Sicut dicit Philosophus de gener. animal. Lib. II. cap. III. oportet quod in semine sit triplex calor, scilicet calor elementaris, scilicet igneus, & celestis, & vitalis, qui est animæ. Sed accidentia indicant naturam, ut in I. de Anima dicitur. Ergo videtur quod præter naturam elementarem sit etiam in corpore hominis natura celestis, & natura animæ.

5. Præterea. Homo dicitur minor mundus, quia in eo omnium creaturarum naturæ concurrunt. Sed corpus celeste est maxima pars universi. Ergo videtur quod aliquid de natura illius corporis veniat in compositionem corporis hominis.

Sed contra. Quidquid venit in compositionem corporis hominis, est aliquo modo perfectum ab anima. Sed quicquid incipit esse sub aliqua forma substantiali, est generabile, & corruptibile; anima vero substantialis forma est. Cum ergo natura corporis celestis sit incorruptibilis, & ingenerabilis, videtur quod ad compositionem corporis hominis non veniat.

Præterea. Ut in I. Cæl. & mun. text. XIX. Philosophus dicit, idem est locus naturalis totius corporis, & partis ejus. Sed locus corporis celestis est supra elementa. Ergo nihil de natura illius corporis potest hic esse nisi sicut in loco innaturali, & per motum violentum. Illius autem corporis non potest esse violentus motus, cum motus ejus circularis contrarium non habeat, ut in I. Cæl. & mund. text. XX. probatur; cum tamen oporteat motum violentum naturali contrarium esse. Ergo nihil de natura corporis celestis ad compositionem hominis veniat.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod aliquid venire in compositionem alicujus contingit dupliciter. Aut per essentialitatem suam per modum principii materialis, vel formalis; & sic nullo modo aliquid de natura corporis celestis venit in compositionem hominis corporis. Quia quod plura corpora veniant ad constitutionem unius, hoc non potest esse nisi tribus modis: vel per simplicem aggregationem, sicut ex lapidibus fit acervus: vel per compositionem, quæ est cum ordine partium determinato, & ligamento, sicut ex lignis, & lapidibus fit domus: vel per mixturem, sicut ex elementis efficitur mixtum. Nullo autem istorum modorum potest aliqua (1) pars de natura celestis corporis in compositionem hominis corporis venire: quia in primis duobus modis oportet unamquamque partium esse distinctam secundum situm ab alia; non autem vi-

(1) Al. pars corporis.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Homil. XXIX. in Evang. quæ prius homil. Ascensionis notabatur, quia in festo Ascensionis Domini habita est, & Ecclesia illam eodem die legit.

demus hoc in compositione hominis corporis, quod sit ibi aliquid de natura corporis celestis, ab aliis, scilicet elementis, secundum situm distinctum: in tertio autem modo oportet adesse alterationem componentium, quia mixtio est miscibilium alteratorum unio, ut in I. de gener. dicitur; natura autem celestis inalterabilis est. Alio autem modo venit aliquid in compositionem alicujus per effectum virtutis suæ; & hoc modo natura corporis celestis venit in compositionem corporis hominis, & omnium mixtorum corporum: quia nihil consequitur formam substantialem nisi per virtutem celestem, eo quod corpus cæli est primum alterans, cujus virtute omnes alterationes regulantur, & ad fines proprios perducuntur.

Quidam tamen dicunt, aliquid de natura corporis celestis venire in compositionem hominis corporis essentialiter, quasi concilians elementa: & hoc dicunt esse lucem, quam ponunt corpus esse. Sed hæc positio falso fundamento innititur, dum ponit lucem esse corpus, ut supra dictum est: quo remoto veritatem haberet quodammodo: quia, ut supra dictum est, virtutes corporum celestium participantur ab inferioribus corporibus mediante luce. Nec tamen adhuc esset de compositione hominis corporis corpus celestis natura; quia illa lux non est forma substantialis corporis hominis, sed aliquo modo est causa ejus: & de hoc supra dictum est distinct. XIII.

Ad primum ergo dicendum, quod anima quæ movet corpus humanum, non est ejusdem speciei cum natura quæ movet corpus celeste, quamvis sit simillima sibi inter omnes formas naturales. Unde non oportet quod aliquid de celesti corpore sit essentialiter pars hominis corporis, sed quod humanum corpus maxime cælo similetur; quod contingit in hoc quod est temperatissima complexio, & maxime recedens à contrarietate, dum ad medium pervenit quod neutrum est contrarium.

Ad secundum dicendum, quod ad illam elementorum conciliationem sufficit effectus virtutis celestis: unde non oportet corpus celeste compositionem hominis corporis essentialiter ingredi.

Ad tertium dicendum, quod non oportet omne quod est lucidum, pertinere ad naturam quintæ essentiae, nisi per similitudinem, & convenientiam quandam. Unde quanto corpus fuerit nobilius, tanto magis participat proprietates ejus: unde in igne est plus de luce quam in aere, & sic deinceps. Non ergo intendit Avicenna dicere spiritus esse de natura quintæ essentiae, cum post ipse dicat ex quibusdam cibus, vel partibus subtiliores, & clariore spiritus generari.

Ad quartum dicendum, quod in semine non est calor celestis corporis, qui sit in corpore celesti sicut in subjecto; sic enim sequeretur corpus celeste in semine esse; sed quod virtus corporis celestis operatur in semine, sicut virtus motoris primi relinquitur in instrumento.

Ad quintum dicendum, quod non omnia veniunt in compositionem hominis corporis per essentialitatem, sed per similitudinem, & convenientiam quandam, ut dicit Gregorius (a) (in homil. Ascensionis) quod homo intelligit cum Angelis, vivit cum arboribus, & sic de aliis.

ARTICULUS II.

Utrum paradisi in quo fuit Adam, possit esse locus corporalis.

I. P. quæst. cii. art. 2.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod paradisi de quo fit hic mentio, locus corporalis esse non possit. Homo enim ab aliis animalibus in re corporali non distinguitur, cum quibus vitam, & sensum communicat, sed in re spirituali, scilicet intellectu. Cum ergo ab aliis animalibus in paradiso dicatur distingui, quia alia animalia ibi posita non fuerint, videtur quod paradisi sit locus tantum spiritualis.

2. Præterea. Nullus locus terrenus est usque ad lunarem globum pertingens, cum circa lunam sit ignis maxime activus, & extranei corporis consumptivus. Sed in littera dicitur, quod pertingit paradisi usque ad lunarem globum. Ergo videtur quod non sit locus terrenus, sed spiritualis.

3. Præterea. Philosophi, & Historiographi inveniuntur de diversis terræ locis scripsisse. De hoc autem loco nullus unquam scripsit. Ergo videtur probabile quod non sit locus corporalis.

4. Præterea. Damascenus dicit (Lib. II. de Fid. orth. cap. ix.) quod fons unde dicuntur egredi flumina paradisi, est ipse Oceanus. Sed Oceanus circuit totam terram, & non aliquem locum determinatum. Ergo videtur quod nullus locus determinatus in terra sit paradisi.

5. Præterea. Quatuor flumina quæ Scriptura commemorat de paradiso egredi, ex diversis fontibus emanant. Cum ergo Scriptura de uno fonte qui in paradiso est, dicat horum fluminum esse originem, videtur quod non possit intelligi de fonte, & fluminibus corporalibus, ut nec alia quæ de paradiso dicuntur.

6. Præterea. Lignum vitæ est sapientia, ut dicitur Proverb. xiiii. Cum igitur sapientia non sit quid corporale, videtur quod nec hæc, nec alia quæ de paradiso dicuntur, corporaliter accipienda sint.

7. Præterea. Id quod debetur homini damnato, non convenit proprie naturæ institutæ. Sed agricultura data est in penam homini damnato: Genes. iii. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane.* Ergo videtur quod non nisi mystice dictum sit, hominem in paradiso positum, ut operaretur illum.

8. Præterea. Ubi nullus invasor timetur, non est necessaria custodia. Sed nullus paradisi invadere poterat. Ergo non potest proprie intelligi hominem in paradiso positum ad custodiendum illum.

Sed contra est quod in littera determinatur, & communis Ecclesiæ traditio tenet.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod Origenes posuit paradisi non esse locum aliquem corporalem; sed omnia quæ de paradiso dicuntur, allegorice de paradiso spirituali interpretanda esse: quod pro errore reprobatur Epiphanius Cypri Episcopus in quadam epistola per Hieronymum translata. (2) Unde simpliciter concedendum est, paradisi locum quemdam corporalem esse in determinata parte terræ situm, tempera-

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Ut nimirum cap. iiii. illius Epist. videre est, quæ inter epistolas Hieron. lx. recensetur.

tissimum, & amicum, ut homo nullis perturbacionibus impeditus, spiritualibus deliciis quiete fruere- tur. Hunc autem locum existimant sub æquinoctiali esse versus partem orientalem, eo quod quidam Philosophi locum illum temperatissimum asserunt, ex quo etiam loco Nilus, unus de quatuor fluminibus paradisi, finire videtur.

Ad primum ergo dicendum, quod etiam in virtute sensitiva homo alia animalia excedit, quia etiam melioris tactus est, & magis vigent in eo inferiores sensus, ut per eos operatio intellectus melius compleri possit: & ideo etiam ut quietius operationi intellectuali vacaret, locum tranquillum seorsum ab aliis animalibus accepit: non enim probabile est illud alia animalia pervenire potuisse ex seipsis, nisi aut virtute divina ad tempus, ut quando adducta sunt animalia ad Adam, ut videret quid vocaret ea, ut legitur Genes. iii. (nisi forte hoc per interiore revelationem factum exponatur) vel etiam operatione demonis, ut patet de serpente.

Ad secundum dicendum, quod non potest intelligi paradisi terrestris usque ad lunarem globum se extendere secundum situm, sed secundum quandam similitudinem propter temperantiam, & incorruptionem quæ loco illi debebatur, & habitatoribus eius; à luna vero & supra neque contrarietas, neque corruptio est.

Ad tertium dicendum, quod locus ille, ut in littera dicitur, est semotus etiam à nostra habitatione aliquibus impedimentis, ut adiri non possit, vel montibus, vel aquis, vel etiam aeris intemperie in loco intermedio: & ideo ejus notitia haberi non potuit nisi per revelationem Scripturæ.

Ad quartum dicendum, quod primum principium illorum fluminum, sicut & cæterarum aquarum, est Oceanus, sed principium proximum est fons ille qui in illa parte terræ surgit.

Ad quintum dicendum, quod sicut contingit in quibusdam fluminibus, ut fontes à quibus originem habent, sub terram intrent postquam per aliquod spatium fluxerunt, & iterum in aliis locis erumpant; ita etiam dicit Augustinus VIII. super Genes. cap. vii. hoc in illis fluminibus contingere quod primum principium eorum est fons paradisi, qui in aliquo loco nobis ignoto terram subintrat, & deinde in aliis locis aqua illa erumpit, ubi videtur illorum fluminum esse principium.

Ad sextum dicendum, quod sicut per Hierusalem significatur præsens Ecclesia, & etiam celestis patria, & tamen ad litteram Hierusalem civitas quædam fuit; ita etiam quamvis per lignum vitæ sapientia significetur, non removetur quin lignum vitæ arbor quædam ad litteram intelligatur.

Ad septimum dicendum, quod in statu innocentie non fuisset agricultura laboriosa, sicut est in statu peccati; sed delectabilis ex consideratione divinæ providentiæ, & naturalis virtutis.

Ad octavum dicendum, quod homo est positus in paradiso ad custodiendum ipsum sibi, non contra aliquem invasorem, ne scilicet per peccatum ipsum amitteret. Vel dicendum, quod hoc non sic intelligendum est quasi homo debeat operari paradisi, vel custodire; sed ideo positus est in paradiso, ut Deus ibi operaretur hominem, & custodiret eum: sicut enim homo operatur terram, ut faciat eam fructiferam, sic Deus operatur hominem, ut justus sit; &

custodit eum, quia sine ejus adjutorio tutus esse non potest, ut dicit Augustinus VIII. super Genes. cap. x. & xi.

EXPOSITIO TEXTUS.

1. **A** Nimam cum Angelis sine corpore fuisse creatam. (1) Hæc positio videtur irrationabilis: quia ratio est, quia causæ inferiores impediri possunt, ut non omne contingat quod in eis futurum est; sed modus originis: unde si aliæ animæ in corpore creatæ, scientia Dei falli non potest, & ideo non potest esse tur, non potest rationabiliter sustineri quod anima primi hominis extra corpus creata sit. Quamvis Augustinus sine assertione hoc dicat VII. super Genes. *Unde nec aqua divini illuc pervenerunt.* Hoc non tantum fuit propter loci altitudinem quam propter loci puritatem, qui purgatione non indigebat.

DISTINCTIO XVIII.

(2) De formatione mulieris.

In eodem quoque paradyso mulierem formavit Deus de substantia viri, sicut post plantatum paradysum, hominemque in eo positum, & post universa animalia ad eum ducta, suisque nominibus designata, subnectit Scriptura, Gen. iii. 21. *Immisit Deus soporem in Adam.* Cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & formavit eam in mulierem. Hic attendendum est quare non creavit simul virum, & mulierem, sicut Angelos; sed prius virum, deinde mulierem de viro: ideo scilicet ut unum esset humani generis principium, quatenus in hoc & superbia diaboli confunderetur, & hominis humilitas Dei similitudine sublimaretur. Diabolus quippe aliud à Deo principium esse concupierat: ideoque ut ejus superbia retunderetur, hoc homo in munere accepit quod diabolus perverse rapere voluit, sed obtinere non potuit; & per hoc imago Dei in homine apparuit: quia sicut Deus omnibus rebus existit principium creationis, ita homo omnibus hominibus principium generationis. Ideo etiam ex uno homine omnes esse voluit Deus, ut dum cognoscerent se ab uno esse, omnes se quasi unum amarent.

Quare de latere viri, & non de alia corporis parte formata sit.

CUM autem his de causis facta sit mulier de viro, non de qualibet parte corporis viri, sed de latere ejus formata est, ut ostenderetur quia in confortium creabatur dilectionis: ne forte, si fuisset de capite viri facta, viro ad dominationem videretur præferenda: aut si de pedibus, ad servitum subicienda. Quia ergo viro nec domina, nec ancilla parabatur, sed socia; nec de capite, nec de pedibus, sed de latere fuerat producenda: ut juxta se ponendam cognosceret quam de suo latere sumptam didicisset.

Quare dormienti, & non vigilianti viro costa subtracta est.

NON sine causa dormienti quoque viro potius quam vigilianti detracta est costa, de qua mulier in adjutorium generationis viro est formata, scilicet ut nullam in eo sensisset penam monstraretur, & divinæ simul potentie opus mirabile ostenderetur, quæ hominis dormientis latus aperuit, nec eum tamen à quiete soporis excitavit. In quo etiam opere Christi sacramentum, & Ecclesiæ figuratum est: quia sicut mulier de latere viri dormientis formata est, ita Ecclesia ex sacramentis, quæ de latere Christi in cruce dormientis profluxerunt, scilicet sanguine, & aqua, quibus redimimur à pœnis, arque ablumimur à culpis. (3)

Quod

(1) Supple: Augustinus super Genesim tradit, ut in textu. (2) Al. deest hic titulus. (3) Nicolai addit sequentia, cruculis includens. Unde Augustinus, tract. xv. in Joannem, *Adam qui erat forma futuri, ad Rom. v. 14. præbuit nobis magnum iudicium sacramenti; immo Deus in illo præbuit. Nam & dormiens meruit accipere uxorem, & de costa ejus facta est ei uxor, quoniam de Christo in cruce dormiente futura erat Ecclesia de latere ejus, de latere scilicet dormientis: quia de latere in cruce pendens lancea percusso sacramenta Ecclesiæ profluxerunt.* Et de symbolo ad catechumenos Lib. II. cap. vi. *Ascendat sponsus noster thalami sui lectum, dormiat moriendo, aperiatur ejus latus; ut quomodo Eva facta est ex latere Adæ dormientis, ita Ecclesia formetur ex latere Christi in cruce pendens. Percussum est enim illius latus, & manavit sanguis & aqua, quæ sunt Ecclesiæ gemina sacramenta: aqua, in qua est Sponsa purificata; sanguis, ex quo invenitur esse dotata &c.* Ad marginem vero hæc notat. Similia etiam habet in Psalm. xl. super illud, *Numquid qui dormit &c.* & in Psalm. lvi. super illud, *Dormivi conturbatus: indeque Prosper in Sententiis Augustini sent. cccxix. etsi locum non insinuat. Nec dissimili sensu Ambrosius in Luc. xxiii. Ex illo, inquit, corrupto corpore omnium vita manabat: aqua enim, & sanguis exivit: illa quæ diluat, iste qui redimat.*